

do Episcoporum potentia, & Papalibus ritibus. A populo enim & Proceribus aliquot cepit Religionis instauratio, refragantibus Cardinalibus & Episcoporum caterua: & Iacobo V. rebus humanis exempto, rerumque summa deuoluta ad Regentes, Reginaque puellula per aetatem & locorum distantiam, ut quae in Gallia esset, inepta imperio, & rebus gerendis, parta est maior libertas instauratoribus Religionis Papalem adeoque odiosam Episcoporum potestatem primo reprimendi, deinde in totum e medio tollendi, Ecclesiamque per gradus suis impuritatibus repurgandi. Nam primo, postquam purioris doctrinae, quae passim in Germania & Gallia resonabat, aliquot scintillae aduolarunt, qui eam auidè arripuerunt, id praecipue enixi sunt, ut Papali tyrannidi, Episcoporumque immani potentiae neruos praeciderent: cumque aures Regentis personarent querelis eorum qui Ecclesiam Christi instauratam cupiebant, postulantes ut Ministrorum electio iuxta antiquam Ecclesiae Christi consuetudinem penes populum esset; ut qui praesent electioni, in eorum vitam doctri-